

1305

D O G M A T I C I.

1306

## DLXXXII.

U. 427 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 171. f. per duas columnas multis compendiis, ut solebant Scholaſtici, ſcriptus, coloribus diſtinctus, et Collegio Ducali olim donatus a *M. Petro de Pirchenwart* continet I. Tractatus dogmatici de *Unitate et Trinitate Dei* Fragmentum Sec. XIII. nitidissime exaratum, quod incipit: *Qui producit ventos de theſauris ſuis, qui percuffit primogenita egipti ab homine uſque ad pecus &c.* Abrumpitur fol. 4. Acutus ſane dialecticus fuit Autor, neque *Lombardi* via proceſſit. Poſt annum 1207. ſcripſiſſe innuit non ſemel citatus ab eo *Magiſter Praepoſitivus*, qui eo anno Cancellarius *Parifinus* dicitur ab *Egaff. Bulaeo* in *Hift. Univ. Pariſ.* T. III. p. 706. et *Summam* theol. elaboravit, ut pluribus habes in *Fabric. Bibl. med. Lat. I. XVI. b. v.* Noſtri nomen fortaſſe cum fine Tractatus excidit.

II. fol. 5. Incipit primus liber (in Magiſtrum Sententiarum) *Guarre*. Illuſtrem hic in arena theologica *Oxonienſi* et *Parifina* pugilem, eoque nomine notandum habemus, quod *Johannem Scotum* Ordinis ſui diſcipulum nactus fuerit, *Guilelmum* ab Oppido natali *Waria* (Ware) in Comit. *Hertford. de Warra, Guarra, Guarronis, Varronis*, quin *Verum* et *Varrilonum* dictum. Docuit is *Parifis* poſt Sec. XIII. medium, ut habes apud *Tannerum, Fabricium, Waddingum*, quem *Oudinus* confeſtis

jam, antequam Catholicos deſereret, *Commentariis* ſuis poſtmodum, ut ſe novis *Συμπιſοις* adprobaret, convitia paſſim inferciens T. III. col. 568. mendaciter ſcripſiſſe ait, *Guilelmum* a *J. Pico Mirandul.* in *Apologia* ſua adpellatum fuiſſe *excellenter Doctorem, Eccleſiae lumen, fidei propugnaculum*, mendax ipſe, nam haec Elogia in edit. *Opp. Pici Baſileae per Heinr. Petri 1557. f. fol. 159. pag. 1.* non niſi caecum effugere poſſunt. Verum iſthaec odioſa mittamus. Initium *Commentarii* noſtri eſt: *Quoniam teſtante beato auguſtino 8. de civ. dei c. 8. finis ideo finis dictus eſt, quia propter hunc cetera uolumus &c.* Liber II. fol. 77. p. 2. ſic incipit: *Circa ſecundum librum queritur primo, utrum multitudo creaturarum poſſit eſſe in mente ab uno principio &c.* Liber III. fol. 127. *Circa tertium librum queritur primo, utrum incarnatio ſit poſſibilis, quia enim incarnatio eſt quedam unio &c.* Liber IV. fol. 147. p. 2. *Circa quartum librum queritur primo, utrum ſacramenta poſſint efficere &c.* Extrema ſunt: *ſicut accidens affligit ſuam ſpeciem in uirtute ſubſtantie. Explicit 4. liber Varronis qui fuit Magiſter Scoti ſue doctoris ſubtilis.* Unde etiam ad ejus Sepulcrum *Coloniae* inter XIV. Doctores nomen ſuum aeri incifum habet.

## DLXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2023 XIV. Folior. 58. 4. per duas columnas commode ſcriptus, rubricis